

A L I V D.

Anno Domini 1585. die 9. Februarij. Luna æqualis motu est, cum motus eius verus ac medius, æquales numero sint.

		Motus verus Lunæ in Ephemeridibus.	
	Dies	Grad:	Minut:
Februarij	5 9	7	41 1/2
	7 10	20	52 1/2 m
		13	11

æqualis est medio motu.

DE ASCENSU ET DESCENSU  
latitudinis Planetarum.  
CAPVT X.

**C**um latitudo Planetæ ab Ecliptica Septentrionalis fuerit, atq; eam in Ephemeridibus augmentari conspexeris, dic Ascendentem esse. Si diminui, Descendentem. Cum verò latitudo Planetæ ab Ecliptica Meridionalis fuerit, atq; eam in Ephemeridibus crescere animaduertes, dic Descendentem esse; Si decretere, Ascendentem.

EXEMPLVM.

Anno Domini 1567. Mense Septembri, Latitudo Saturni ab Ecliptica Septentrionalis est, ut litera S. supernè hoc designat. Cumq; eam tunc in Ephemeride augmentari conspicias, dico Ascendentem esse. Quemadmodum id etiam per adiectionem literæ A. diiudicare licet. Et quidem tam diu Ascendentem esse pronuncio, donec illam diminui deprehendo. Quod fit die 19. Martij, anni Domini 1568. vbi Descendens fieri incipit.

A L I V D.

Anno Domini 1569. primis diebus mensis Nouembris, Latitudo Mercurij ab Ecliptica Meridionalis est, ut litera M. supernè hoc designat. Cumq; eam tunc in Ephemeride crescere reperiam, dico Descendentem esse, Et quidem vsq; ad diem 10. Nouembris eiusdem anni Domini. Quia ibi Ascendens fieri incipit propter decrementum latitudinis.

¶ Obseruata porro hac doctrinæ methodo, errata quædam facile restitui poterunt, quæ primis quinq; annis commissa sunt in Ascensu, vel Descensu latitudinis Planetarum. Si enim semper e regione eius numeri, vbi latitudo Planetæ augmentari, aut diminui incipit, literam D. vel A. posueris, prout necessitas postulat, singula rectè se habebunt.

¶ Sed & hinc latitudinis Ascensus, vel Descensus Planetarum alio modo inuestigatur, duplici via colligitur. Primum per centrum, Deinde per argumentum Planetæ verum. Quando enim Centrum Planetæ verum minus 6. signis fuerit, Descendens in eccentrico erit. Si plus, Ascendens. Item quando argumentum Planetæ verum, minus 6. signis fuerit, Descendens in Epicyclo erit; Si plus, Ascendens. Hæc materia sine tabulis Astronomicis supputandorum cælestium motuum, commodè percipi non potest. Proinde cum eas in publicum emiserimus, copiosius ac dilucidius eam tractabimus.

DE LATITVDINE LVNAE, AD QVOD  
libet tempus propositum, inuenienda.

CAPVT XI.

\* Resolutio signorū  
Zodiaci in suos numeros, sic se habet.

♈	0	♌	6
♉	1	♍	7
♊	2	♎	8
♋	3	♏	9
♌	4	♐	10
♍	5	♑	11

**P**rimò verum motum Lunæ, ac Capitis Draconis habeas, subtrahe deinde verum motum Capitis Draconis, à vero motu Lunæ, resolutis \* tamē signis Zodiaci in suos numeros. Quicquid autem relinquetur, argumentum latitudinis Lunæ ostendet: Quod in tabellam latitudinis Lunæ mittito, quærendo signum in superiore, aut inferiore parte. Si in superiori parte collocatum fuerit, gradus eius in linea collateralis sinistra per descensum Luna

Luna